

Cum igitur hæc, quæ tria putabantur, unum idemque esse persuasere rationes, locum non habet Chaldæorum, ætheris in tres ætheres distinctio. Neque Empyrei per tres hosce penetratio per ærem, qui de tribus hylæis unus fuerat. Si quæ vero penetratio, per reliquos duos hyleos sit, ea per aquam, perque terram dabitur. Et revera datur. Nulla enim aquæ pars est, nulla terræ, in qua æris pars non sit penetrata. Ær autem et æther est, et Empyreus. Ratione quoque alia penetratio hæc, et Empyrei, et ætheris, et æris in duo illa fieri eft credenda; elementorum scilicet, primævorum, spacii, luminis, caloris, et fluoris. Quæ in omnes aquæ partes, in omnes terræ partes pertranseunt. Huc nos rationes, ut videntur veræ deduxere. Quibus Platonicorum axioma adiungamus; τὰ ἄνλα χωρεῖ διὰ τῶν ἐνύλων. Immaterialia penetrant per materialia.

ANNOTATIO R. P. M. IACOBI DE LUGO.

Theologi tenent cælum Empyreum idest igneum dici, non ob ardorem, sed a splendore, quia habet lumen, et claritatem, et est immobile, ut locus esset locatis aptissimus: consistit enim beatitudo nostra in clara Dei visione, qua summa gloriæ claritate beatorum perfundit, et in contemplatione Dei cui sunt charitate affixi. At quibusdam videtur satis probabile, ut cælum Empyreum immobile ordinatum ad statum gloriæ non habeat influentiam in inferiora corpora quæ sunt sub alio ordine, ut pote ordinata ad naturalem, rerum decursum, Divini Thomasi tamen videtur probabilius oppositum prima par. q. 66 ar. 3 in fine corporis. Quoniam sicut supremi Angeli qui assistunt Deo immediatus habent influentiam super medios, et ultimos qui mituntur, quamvis ipsi non mitantur secundum. Dionisium cap. 8 de Cœlesti Hierachia. Ita cælum Empyreum habet influentiam super corpora quæ moventur, licet ipsum non moveatur. Hac de causa possumus dicere, et bene, rationabiliterque cælum Empyreum influere in primum cælum quod movetur, non aliquid transiens, et adveniens per motum: sed aliquod fixum, vel stabile, ut puta virtutem continendi, et causandi, vel aliquod huiusmodi ad dignitatem pertinens.